



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 1. Quid sunt, & an differunt inter se?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

constituatur finis ultimus, & ex affectu erga illam homo sit paratus violare præceptum gravius, vel illius violandi periculo se exponat. Venialia autem ejusdem speciei magis adhuc per se, ac directè disponunt ad mortale; cum circa idem objectum specificè sumptum versentur, & pariant similem habitum. Sic levioribus furtis, contumeliis, detractionibus via sternitur ad graviores injurias, & comparatur consuetudo furandi, detrahendi, quæ magis adhuc in gravia objecta, utpote magis allicientia ad se, inducit, quam in levia.

### CAPUT III.

#### *De Peccatis commissionis, & omissionis.*

Q. I. **Q**uid sunt, & an differunt inter se?

*Resp. I.* Peccatum commissionis est actus positivus factus contra legem eum prohibentem, sive est violatio præcepti negativi. Peccatum omissionis est omisio actus præcepti, sive violatio præcepti affirmativi.

*Resp. II.* Hæc peccata, etiam cum eadem virtuti, aut præcepto ex eodem motivo adversantur, sic moraliter inter se differunt,

runt, saltem secundum gravitatem, ut in Confessione sigillatim explicanda sint. Nam peccatum commissionis, cæteris paribus, est notabiliter gravius peccato omissionis: habet quippe notabiliter majorem disconvenientiam, ac oppositionem cum natura rationali, & lege divina: magis enim, cæteris paribus, inordinatum est, ac disconveniens naturæ rationali, ac legi æternæ facere, quod non debes, quàm non facere, quod debes; & illud opponitur præcepto *declina à malo*, hoc autem præcepto *fac bonum*. Sic odium Dei est longè gravior culpa, quàm omissio actûs amoris Dei præcepti, licèt utrumque eidem præcepto charitatis opponatur; & qui utriusque reus esset, non satisfaceret præcepto confitendi, dicendo se bis peccasse mortaliter contra debitam charitatem Dei. Item longè pejus est patrem contumeliâ afficere, quàm præcisè ei honorem non deferre.

Imò sunt, qui docent, aliqua peccata commissionis, & omissionis inter se differre secundum gravitatem specificam, ut ista allata: quia censent ea habere inter se disconvenientiam, & oppositionem cum natura rationali, & lege divina notabiliter diversam; nam licèt eidem virtuti, ac præcepto ex eodem motivo adversentur, tamen ei modo notabiliter diverso opponuntur.